

que in Resp. ad amicam duplicat. Vorstii pag. 327. Non, ait, sequitur: Deus est sanctissimus & veracissimus, Er. non vult, interdum falsum pro vero amplectamur, quia Scriptura utrumque testatur, DEUM scilicet & Sanctissimum & veracissimum esse, & tamen voluisse, ut Abraham statueret eum velle, ut ipse mactaret filium, quod tamen falsum erat, quia revera hoc non voluit, quia impedivit. Huic exemplo, quod petitum est ex Gen. XXII. v. 2. & 21. Wendelinus addit aliud ex Exod. IX. ubi v. 1. DEUS per Moſen dicit ad Pharaonem: *Dimitte populum meum, ut serviant mihi*, & tamen v. 12. ait Moſes: *Obfirmavit Jehova cor Pharaonis, ut non auscultaret eis*. Quibuscum parum dissentire videtur Tvviſſus, quando in vindit. Gr. fol. 223. Non, inquit, pugnant ista: *Tui est officii, ut hoc facias, sed non est mei propositi per gratiam efficere, ut facias*.

§. 10. Sed respondemus Piscatori (α), quod ἀσβής sit & blasphemus, atque his suis blasphemis malo mendacii agitata Spiritu resistat Spiritui S., qui tot tantisque testatur testimoniis, DEUM nostrum non falsum, sed verum & summè veracem esse, non falsa sed vera loqui, non esse hypocritam, non simulatorem, non posse mentiri, non esse mutabilem, omnia ipsius opera esse in veritate, in ore ipsius non inventum dolum. Consule *Scripturam & Theologos passim*. (β) Rectè ratione magistrà ducimus Piscatorem nostrum per tres illas ab Autoribus bene tritas vias, & (1.) quidem per viam negationis. Nam falsum esse, sive falsum loqui, est defectus, E. à DEO removendus. Et velut Plinius (homo spissis gentilissimi tenebris involutus) lib. II. hist. natur. C. VII. in defectu peccat, quando DEO denegat omnipotentiam, ideo, quod non potest mentiri, sic noster peccare hic videtur in excessu, tribuendo DEO τὸ falsum loqui, sive (quæ nobis hic, quamvis alias nonnullis non soleant, idem) τὸ mentiri, quod tamen DEO non competit per suam Omnipotentiam, utpote quæ involvit τὸ fieri possibilea nullamque imperfectionem importantia, atque ita defectum, qualis est τὸ falsum loqui, sive mentiri, planè excludit. Magna, inquit Augustus ille Ecclesie Præsul Augustinus, *potentia est, DEUM non posse mentiri*.
Lib. XV.